



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De morte Godefridi Canonici sancti Andreeae in Colonia, cap. 44.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**G**odefridus verò non minus miserè defunctus est: erat siquidem auarus valde, & magnam in curia pecuniam collegerat. Die quadam tempore Philippi Regis Romani, magnum in domo sua debitoribus domini sui fecerat conuiuum, ex pecunijs eiusdem Philippi, quas Adolpho pro coronatione dederat, illis accommodata restituere propens: ante enim quām de eodem conuiuio gustasset, apoplexia tactus obmutuit, & sine confessione atque sacra communione spiritum exhalauit. Post cuius mortem cuidam sacerdoti talis de eo visio ostensa est: Vedit eum Coloniae ante monetam incidi impositū, quē Iacobus Iudæus, imò Iudaorum episcopus, cui fuerat familiaris, malleo extendit usque ad denarij tenuitatē. Et bene concordabat pœna culpæ; fuerat enim magister monetæ, & monetariorum socius, & quia multa ibi cōgregauerat pecuniā, luere ibidē visus est auaritiae pœnam. Quæ de morte Hermanni, secundi Decani in Colonia, percepi non tacebo.

## CAPVT XLV.

**E**RAT idem Hermannus homo multum auarus, & amator pecuniæ: accidit ante hoc bienniū, ut canonicus quidam Bonnensis, Wynricus nomine, cognomento Stempel, moreretur: qui statim post mortem Erwino, maioris in Colonia ecclesiæ canonico, in somnis apparens ait: Rogo te, ut ad diem meum venias ante capellam sancti Nicolai. Quod cum Erwinus renueret, sciens eum mortuum, subiecit ille; Peto ut hoc ipsum dicas secundo Decano, quia dies erit octauo die. Ille euigilans, & de visione satis admirans, quid viderit, vel quid Winricus mandauerit, manè Decano recitauit. Qui statim visu intelligens, respondit: Ego satis timeo, quod diē eius citò obseruare debeam, quia homo senex sum & debilis. Statim eadem die peius cœpit habere, ita ut prædicto die moreretur. Quod ubi comperit Erwinus, umens quia & ipse moriturus esset, cœpit se per cōfessionem atque sacram communionem ad mortem

præpa-